

tritas & jam expressas; tum & sæculentam copiosamque spumam quæ à primæ sacchari coctione è cortinâ auferitur, pecoribus escam potumque suppeditare, eaque mirum in modum pinguefacere.

V.

JAM verò nostræ conclusioni apponendum est autoritatis sigillum. Si Hippocratem audiamus, omne dulce nutrit, melque optimum est alimentum. Ex dulcibus nutrimur, ait Galenus. Sed dulce gustu, dulce facultate saccharum; quod juxta analysim chemicam ejusdem omninò naturæ est cum melle. Nicolaus Piso Author Boerhaavio commendatus sic loquitur (i): saccharum rosatum utile phtisicis: terget saccharo & rosarum amarâ substantiâ: *Saccharo nutrit*, rosæ refrigerat & glutinat. Idem sentientes Medici omnes hoc medicamenti genus in phtisi summopere commendarunt. Riverius (k) novit Pharmacopœum quemdam phtisicum qui ingentem sacchari rosacei quantitatem sibi ipse præparabat, idque perpetuò comedeat; & hoc solo remedio sanatus est. Pharmaceuticæ compositiones maximè officinales quæ cum duplo sacchari, ut plurimum, conficiuntur, syrups, conservæ, tabellæ &c. nos evincunt Medicos omnium ætatum nusquam fuisse saccharo infensos. Nemo fuit usque in hodiernum diem qui saccharo condita seu alimenta sive medicamenta rectè improbaret. Quin imò jure & meritò salubria prædicantur (l). Hæc scripsit celeberrimus Geoffroi (m): saccharum cum cibis moderatè sumptum satis *laudabile nutrimentum* subministrat. In saccharo sicut in cæteris edulibus vegetabilibus acidum oleosum & terreis particulis ita implicatur & irretitur, ut sapidum *salutareque alimentum* & condimentum præbeat gratissimum. Ut priùs igitur analogiâ, chemiâ, botanice, ratione & experienciâ sic ex autoritate nunc concludere pronum est.

Ergò *Saccharum alimentum*. *

* Neque timeant calcis aut lixivii alkalinii, quæ saccharo coctionis tempore admiscuntur, terræ argillaceæ aliquid admixtum remanere, ipsique nocivas inducere qualitates. Nihil horum in saccharo probe purgato deprehenditur. Neque magis reformidandum est sal acidum in saccharo contentum; illud namque omninò convenit naturâ & dotibus cum spiritu acido frumenti, hordei, mellis, aliorumque corporum nutritivorum. Quodque ut in illis sic in saccharo ita cæteris principiis implicatur & irretitur, ut absque ignis actione, aut diutius protracto fermentationis motu nulla sui præbeat indicia. Saccharum itaque probatoriis experimentis exploratum nullas aut acidi, aut alkali, aut calcis vivæ terræ argillaceæ notas præbet. Si solutioni sacchari immisceatur alkalinus liquor, nullus exindè oritur effervescentiæ

motus, nullumque aliud adparet phænomenon. Sic pariter spiritus vitrioli in sacchari frustulum cadens, aut ejus dissolutioni admixtus, nullum excitat effervescentiæ motum, neque liquori ullam inducit mutationem: quæ pluries cum eventu semper eodem expertus sum. Nec mirum: syrupus violaceus cum duplo sacchari conficitur, nec mutatur violarum color; quinimò hunc syrupum adhibent chemici ad explorandam acidam alkaliamve liquoris cujuscumque indolem: nec fallunt expectata phænomena. Dubitas? Saccharo condiantur fructus acidi, tum spicula acida fructuum, alkalinas partes (si adessent in saccharo) notâ lege affinitatis invitarent ad sui conubium, unde emergerent salia neutra ingrati saporis: porro nihil horum deprehenditur in fructibus saccharo conditis.

Proponebat Parisiis STEPHANUS DHUAUME, Blænsis, Doctor Medicus Monspelienis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccæ laureus, Theses Author, A. R. S. H. 1759, A SEXTA AD MERIDIEM,



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI - PARÆ ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertio mensis
Maii, Anno Domini M. DCC. LIX,

M FRANCISCO MERY,
Doctore Medico, Præsidente.

An salubrior Sequana?

I.



REGIONES, urbem, sanas nè dixeris quas torridus exurit aër, squallor suffocat, infestatque aquarum penuria. Dant salubres & indicant serenus aether, Elementorum consensus, successiva, æqualis & moderata Horarum, Dierum, Tempestatum, Annique vicissitudo & miscella, temperata caloris cum frigore libratio, frons ad Orientem

A

(i) Cap. de phtisi lib. 1.

(k) Vid. cap. de phtisi.

(l) Vid. quæst. Med. Par. 1. c. M. Joanne le Thieullet, An alimenta saccharo condita salubria. aff.

(m) Mat. Med. tom. 1. cap. de saccharo p. 746. & 749.

2

plurimum directa, amicorum dulcis aura ventorum, vegea firmi corporis habitudo, color floridus, firmum caput, sensus acuti, quid tandem? Uberior leni cursu properantis aquæ affluxus & sinceritas. Sed aquam nè temerè pronuntiaveris sinceram. Quid ad hominum sanitatem valeat aqua, non noscitur pondere, non mollitiæ æstimatur, non judicatur coctione. Intemeratæ bibentium explorentur fauces, celebreturque præ cæteris si cum nullâ pulmonum debilitate, ventriculi pondere, dolore viscerum, alteriusve partis obstructione, coquendis aptissima leguminibus, pani ritè conficiendo nata, cujuscumque sit expers saporis, promptè calori frigori que suscipiendo æqualiter parata. Quæ hisce prædita dotibus agnosceatur aqua, salubris & eadem meritò nuncupabitur, eò salubrior quò cumulata magis.

I I.

OR B I S universi compendium Gallia. Famosas suæ ditionis mille inter Urbes, Lutetia non minùs præstantissimorum ferax ingeniorum, quàm magnitudine, numero, ornatu, splendore, opibus conspicua, omnium facilè princeps. Triplicem spectat solis exortum; altioribus & innumeris densissima licèt ædibus, omnium tamèn est, montibus non intercepta, ab ortu & septentrione saluberrimè afflantibus pervia ventis, multum ab Austro & occidente spirantibus averfa. In mediis luti fæculentioris sordium halitibus, in tantâ hominum undique advolantium frequentia, non grassatur tetra lues, pestisve contumax: non frequentius densat funera inexplebilis in otio diversissimorum eduliorum ingluvies: in Incolis nec φιλοπρόνοις nec φιλογυμνοτοίς, sed solâ Scytharum more exercitatis ventione, non inferior Martialibus Romanis emicat animus. Tot mirandorum causam scrutaris avidus? Cæli inter Polum & circulum æquinoctialem fermè medii agnoscas dona; temperatæ soli directionis dotes, fecundissimæ salubriorisque Sequanæ irrigationis munera.

I I I.

QU I B U S N A M constet elementis aqua quam veht Rex fluviorum Sequana, scrupulosiùs inquirent Chimix sectatores. Sola dux nobis experientia, testes effectus. Quantum hæc cæteris omnibus præcellat, oculato cuilibet quàm facilè demonstrabunt. Sequana nec alto nimis nec depresso ad Orientem hybernum natus loco, Junnam recipit cancrorum divitem, defluentem ab ortu æstivo Ma-

3

troham, Bibaram tandem temperandæ cerevisiæ Tyriisque coloribus nulli secundam. Tot onustus divitiis, solaribus ubique expositus radiis, non stagnans ut Garumna, non Rhodani modo furentes præcipitans aquas, non Tiberis instar templa dejiciens & ædes, non segniter torpens ut arar, æqualis semper, otiosus nunquàm vel citior, qualis æstate talis hyeme, tumens rarò detumensque ingreditur Lutetiam aspectu gratissimus, amplissimamque civitatem ad triplicem solis exortum dividens tripartitam, uberiori alveo quæ munera non fert, quæ non avertit mala vel præcavet? Fertilitatis, abundantia, munditiæ, annonæ parens est & conservator. Infestas crassioris luti sordes abluit & repurgat; pestiferos cloacorum halitus dissipat & retundit; abstergit squallorem, temperat aërem & renovat, singulisque vitæ beatioris usibus & commodis non impar, levitatem dat pani, debitam coquendis leguminibus largitur mollitiem, optimum est carnibus condimentum. Sed cum Sequana tot munera dividant cætera quælibet flumina, non alia epotatione certare audeat aqua.

I V.

FELICES nimiùm Parisii si sua bona norint! Quem sincerum fundit Sequana laticem pleno haustu ebibant avidi. Non salubriorem aquam cæteris mortalibus obtulisse benignam rerum parentem naturam conservata diu sanitas evincet, reparata citiùs. Quid est etenim quòd facilè parabilis ille liquor incolis beneficii non præstet? Spiritu vitæ turgidus, gratus palato, viscera facilè permeans, non gravis Stomacho, Pectoris amicus, sitim fugat protinùs & explet; appetitum, quo non exquisitior coqus, excitat & promovet; genuinum est non fictitium fermenti genus illud quò promptiùs in ventriculo dividuntur alimenta, concoctio perficitur placidiùs, tutiùs properat distributio, fluidiorque nascitur chylus dulcis & blandus, puri sanguinis per vasa facili lapsu decurrentis fons innocuus & reparator. Quis potentiùs æstuentes corporis fluidorum compescit impetus? Solidorum sedat spasmos? Nativum sanguini & humoribus instillat vehiculum? Quis meliùs alvum continet mollem, tardiozem stimulat, aperit urinæ vias, salia dissolvit, calculosis obstat concretionibus, transpirationem secretionum saluberrimam promovet, putredinem arcet futuram, sistit præsentem, dolores mulcet, avertit lentorem, moram rumpit, emollit dura, tena laxat, involvit acria, nociva foràs amandat, dat tandem æquilibrium & servat? Aquæ Sequanæ potatores aspicias? Quis oris nitor, vultus color floridus, oculi fulgor? Ingenii mireris aciem! Vigorem membrorum, corporis

mentisque fecunditatem : Ut rarius ægrotant , sanantur facilius , longamque beati numerant annorum seriem in senectute juvenes. Sed obstupescere desinas. Incolis , si cauti , Medicina est universalis Sequana.

V.

NE fallacibus verbis temerè credas , clamitat ignara plebs , ferentemque dona timeas Sequanam. Si salubrior , inquit , cur non alibi frequentius quàm Parisiis distorti corporis ingruunt naxi ? Cur mulieres non pauca , succi plenæ licèt , tumentibus protuberant alvis gibberæ sæpius , calculosis viri infestantur concretionibus , herniis tentantur juvenes ? Cur contumaces adeò Diarrhææ , Rhumatismi , Arthritides ? Stolidum sanè vulgus ! Quibus debelletur arma ministrat inscium. Quis , quæso , varos valgosque Ægyptiorum pedes , excedentia labia , crispamvè cæsariem fertiliori Nilo tribuerit unquam ? Cæteris vix cogniti nationibus incolas Sequanæ lacessunt morbi ? Quid culpas Sequanam ? Habitantium incusa gulam , crassioribus ferculis fatiscentes mensas , condimenta ciborum non inferiora venenis , fatales vini spirituosique cujuslibet liquoris illecebras effrenatam venerem , longiorem somnum , desidisque otia vitæ. Quid valeat Sequana experiri audeant ? Tot malis non tutior medela , non præstantius pharmacum. Aquas formident subterraneas , stagnantes , paludosas , puteales , frigidas , nivales. In longam diem infeminant morbos , pestiferoque potu trucidant , Non fontes laudentur Isiaci , non Bellavillei , non Regniacenses ; heu malè plumbeis in universam urbem rubis derivantur crudiores : solus de medio fluminis bibatur Sequana ; æternumque concludetur ,

Ergo salubrior Sequana,

Proponebat Parisiis JOANNES - ARMANDUS ROUSSIN DE MONTABOURG , Parisiensis , Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus , A. R. S. H. 1759.

A SEXTA AD MERIDIEM,

Typis Viduæ QUILLAU , Universitatis & Facultatis Med. Typographi , 1759.

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI - PARÆ ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum , die Jovis decimo mensis Maii , Anno Domini M. DCC. LIX.

PRÆSIDE,

M. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE , antiquo Facultatis Decano , Doctore Medico ,

An Aer Alimentum , Medicamentum , Venenum ?

I.



QUIDQUID sinu complectitur universi orbis immensitas , triplex apud physicos constituit Regnum. Vegetabile dicunt , animale & minerale. Duo priora sola præbent alimentum : Tria medicamentum , aut venenum. Alimentum dicitur , quidquid nutrit , aut accretionem corporis viventis promovet & servat : Medicamentum , quidquid corpus vivens labefactatum aut læsum restituit. Venenum tandem , quidquid lædit illud aut destruit. Nulla quæ nos ambiunt corpora , non lædunt , aut non juvant. Afficimur omnibus & singulis diversimode quidem , at nunquam illæsi aut increati , plus , minus. Solo vitæ usu dete imur , & lento inedæ carperemur igni , tenuisque sensim confecti vaporaremus in auras , nisi refrigerium præsens occurreret cibus , languid solum artubus. Ille non unus ; salubris , insalubris , & neuter. Sunt permulta quæ lædant : Olfactu ; umbra nucum juglandium , &c. etiam sine odore , ut toxica quæ Itali in florum fertis , chirotecis , permittere assueverunt : Aspectu ; ut Bufo moriens in recipiente exhausto per antliam pneumaticam aëre ; Basiliscus (si credere fas est) , lumen vividius , color phœniceus , carbones ardentes , sol &c. Tactu , torpedo , cantharides , ignis , caustica , venena permulta Quàm multa & innumera Gustu ? Hæc percurrere , historiam scribere sit. Quin & Auditu : ferririgor atque argutæ lamina ferræ , & tormenti bellici strepitus , & fulminis improvisus fragor. Hæc venena habe ! Totidem quæ opponas benigna

A